

SLUB Dresden

zell

2007

8

050810

m001 | MAG











DISSERTATIO  
PHILOLOGICA

DE

CORONA CIVICA ET LAUREIS ANTE DOMUM  
CAESARIS AUGUSTI,

AD

ILLUSTRANDA QUAEDAM AUCTORUM CLASSICORUM LOCA,  
PRAESERTIM VERBA OVIDII, METAM. I. 562. 563.

---

IN LUCEM EDITA

AB

JOANNE GOTTLOB LUDOVICO RAMSHORN,

MIN. CAND.

GYMNASIUM  
FRIDERICIANUM  
IN SCHWERIN

---

DRESDAE, 1800.

SUMPTIBUS AUCTORIS ET PROSTAT APUD H. GERLACH.

*H. Gerlach*



2001 MAG P3

D I S S E R T A T I O

P H I L O L O G I C A

DE

CORONA CIVICA ET LAUREIS ANTE DOMUM

CAESARIS AUGUSTI

AD


ILLUSTRANDA QUAE IN ALIQUOTUM CLASSICORUM LOCA

PERPETUUM VITAE QUID METAM. I. UDE. 557



AB

JOHANNES GOTTFRIED LUDOVICUS RABENHORST



1782

IN VITAE QUID METAM. I. UDE. 557

*Handwritten signature*

2001 8 050810



V I R O

MAGNIFICO AC SUMME VENERABILI

D. FRANCISCO VOLCMARO

R E I N H A R D O,

CURIAE SAXONIAE ELECTORALIS SACRAE A CONSILIIS ET AULAE

CONCIONATORI PRIMARIO,

PATRONO MAXIMOPERE COLENDO.



V I R O

MAGNIFICO AC SUMME VENERABILI

D. FRANCISCO VOLCOMARO

R E I N H A R D O

CURIAE VIKTORIAE NECTOTALLI SACRAE A GORNIUS ET ALIIS

CONSIGNATIONE PUBLICA

PATRONE MAURITIORE GOLDFELD



*Vir Magnifice*

*Patrone Summe Venerabilis*

*T*IBI, Summo litterarum Fautori, hasce horarum subsoci-  
varum primitias non sine quodam timore offerre ausus sum, ne,  
quum in eiusmodi rebus nullius unquam praeceptoris ope adiu-  
tus privato tantum studio versatus sim, tali tantoque ingenio  
parum dignae videantur. Verum enim vero persuasus, TE eius  
generis pericula, modo adsit voluntas magis in dies proficien-  
di, contemnere haud facile solere: hodierno die festo altari-  
bus



bus, quae in TUUM honorem, o Patriae Dulcissimum  
Decus! plurimis coronis ab optimis civibus ornata sumant,  
imponere ceterisque muneribus tamquam devotissimi animi tesse-  
rulam adjicere conor. Rogo igitur oroque, id, qualecunque  
demum sit, benevolenter accipias meque iis, qui cum universa  
Saxonia REINHARDUM perpetuo faustum felicemque esse  
jubent, interesse ac TUAE tutelae meam salutem commendare  
patiaris,

*Vir Magnifice,  
Tuo Nomini Summe Venerabili*

*Dresdae,  
ipso TUO natali,  
d. IV. ante Idus Martias  
MDCCC.*

*cultorem addictissimum  
Joannem Gottlob Ludouicum  
Ramshorn.*



*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page]*

**E**t si vereor, ne, dum loci eiusmodi explicationem aggredior, qui tot tantisque viris vel summa eruditionis laude florentibus ingenii acumi- ne praeclaris haud facillimus esse videretur, opus viribus meis impar suscepisse adeoque haud parum mihi sumsisse videar: tamen, si meam qua- lem cunque de ea re sententiam ferrem, eamque scriptorum, ut vocant, classicorum auctoritate firmarem, et huius loci ambiguitati aliquo modo me opem laturum, et modestiae fines haud excessurum esse putavi. In- credibilis enim est sententiarum, quibus hunc locum explicatum iverunt viri docti, varietas, ita ut de illa artis interpretandi lege: Omnem ser- monem, nisi scriptoris consilium ambigue loquendi adpareat, unum tan- tum sensum exhibere debere; desperandum fere videatur. Facturus igitur operae pretium aliquo modo mihi visus sum, si collectis illis do- ctorum virorum explicationibus atque inter se comparatis ostenderem, et quam parum iisdem interdum acquiescendum sit, et quam valde locus iste laboret rectaque interpretatione egeat. Aliam deinde subicere vo- lvi eo imprimis consilio, ut, quam viam ingressus sim, demonstrarem, eamque viris doctis dijudicandam proponerem. Ut enim homini libera- liter instructo atque formato nihil turpius est, quam labi, errare, nescire ac decipi; in cognitione atque scientia excellere, nihil laudabilius: <sup>1)</sup> ita bonarum artium ac litterarum cultoris haud parum sane interest, loci eiusmodi verba, in quibus interpretes haerere solebant, ad veram pote- statem revocasse ac inde pluribus aliis locis, iisdemque obscuris, certe ambiguis, lumen quasi accendisse, adeoque vel quodvis periculum tam- quam plane inutile haud aspernabitur. Nam quid verum sit, id in cete- ris rebus perinde, ac in iis priscorum auctorum locis, quae de monu- mentis, temporum injuria aut corruptis aut plane deletis agunt, nonnisi perscrutando, comparando ac circumspiciendo diligenter accurateque inveniri potest, neque, si de vero verborum sensu res agitur, interpreti- bus temere credendum est, quorum tricus saepissime impeditum te vides, sed potius ad fontes ipsos, ex quibus hauserunt, recurrendum atque inde petendum auxilium. Propterea recentioris disciplinae ratio a sapientis- simis viris valde comprobata est, qua auctores classicos ita cum tironibus tracta-

<sup>1)</sup> Cicero Offic, I. 6.



tractari placuit, ut puerile ingenium in iis legendis atque explicandis bene exercitatum arte quadam vere Socratica subigatur ac magis magisque acuatur, ne temere magistri verbis acquiescant, sed ipsi, quae series verborum contexta, quae singulorum vis sit ac significatio, cernant. Contra has sanae interpretationis regulas diu multumque in hoc loco, quem nobis interpretandum proposuimus, peccatum esse, nemo, qui vel interpretum huius, ceterorumque locorum, quae laudant, opiniones, vel antiquitatum Romanarum scriptores legit, facile inficiabitur. Pro meis igitur viribus operam dabo, ut, relictis illis explicationibus, comparatis tantum inter se auctorum classicorum locis, e quibus luminis nobis aliquantum effulget, ad verum sensum via muniatur.

Ovidius in immortalis illo carmine de transformationibus postquam Apollinis in Daphnen amorem narravit (l. 452 sqq.) eiusque mutationem in laurum elegantissime pinxit, sublimes entusiasmo abreptus nympham mutatam magnificentissimo paeane, quo Deus vaticinans Romanorum atque Augusti laudes canit, profequitur (v. 557 sqq.). Inter alia dicit v. 562. 563. de lauro:

*Postibus Augustis eadem fidissima custos  
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.*

Verba per se sane ambigua. Hoc unusquisque sanus interpret facile videbit, quoniam quercum vates mediam ponat, <sup>2)</sup> de pluribus laureis esse sermonem, quamquam non desint, qui unam statuerint. <sup>3)</sup> *Tueri*, quum idem sit, ac defendere, tegere, eleganter a poeta de obumbratione <sup>4)</sup> posse dici, quis negat? Sed aequo jure explicare poteris, imminere, supra vel juxta aliquid affixum esse. Quo posteriore sensu assumpto, quid impedit, quo

<sup>2)</sup> Duas lauros et inter eas mediam quercum ante domum Augusti statuunt Cl. Gierig. et Burmannus ad h. l. Vorstius ad Val. Max. II. 8. 7. extr.

<sup>3)</sup> Adler Beschreibung der Stadt Rom. Altona 1781. 4. pag. III. „Vor dem Eingange stand ein Lorbeerbaum, an welchem eine Krone von Eichenlaub war aufgehängt worden.“ Sed pag. 315. plures lauros, quercusque ante palatium fuisse positas statuit, et uni quercui coronam impositam cum verbis: Ob cives servatos, Nitschio, in libro: Beschreibung des Zustandes der Römer etc. Vol. I. p. 100. adficiente. — Unam laurum ante fores positam et supra fores coronam civicam censet quoque Onuphr. Panvinius in Urbe Roma. Ed. Venet. 1558. 8. pag. 138. et in Graevii Thes. Rom. Antiq. Tom. III. p. 340.

<sup>4)</sup> Sic contra obumbrare occurrit ap. Virg. Aen. XI. 223. pro tueri, defendere. Serv.



quo minus quercum de corona querna, <sup>5)</sup> laurum de duobus ramulis, <sup>6)</sup> vel utramque de tribus coronis, media querna, <sup>7)</sup> intelligas? Sed jam de loco disputatur, fueritne illa querna (sive tres illae coronae) in fastigio <sup>8)</sup> domus Augustae, an inferius supra januam <sup>9)</sup> affixa? Utrumque enim statuerunt viri docti, nec defuerunt loca classica, quae pro sua quisque sententia laudarent.

Mihi

<sup>5)</sup> Per metonymiam causae, Jani art. poet. pag. 402. Sic quercus pro corona civica Lucan. I, 357. Virg. Aen. VI. 772. Martial. Epigr. IV. I, 6. VIII. 82, 7. IX. 24, 5. Claudian. de laud. Stil. III. 72. et pro corona querna Juvenal. Sat. VI. 386. Martial. Epigr. IV. 54, I. Laurus pro corona laurea Ovid. Trist. IV. 2, 51. Horat. Carm. III. 30, 15. Sic oliva pro corona oleaginea, Horat. Carm. I. 7. 7. Ederae pro corona ederacea id. I. 1, 29.

<sup>6)</sup> Adams röm. Alterthümer, übers. von Meyer. Erlang. 1794. 96. 8. qui Vol. II. pag. 979 inquit: „Die Lorbeerzweige scheinen an jeder Seite der Hausthür in dem Vestibulum aufgestellt und die Bürgerkrone in der Höhe zwischen denselben aufgehängt worden zu seyn.“ Non meminit sane auctor cel., quae dixerat p. 694. eiusd. Vol. „Unter den Ehrenbezeugungen, welche der Senat dem Augustus zuerkannte, war auch diese, dass auf dem Gipfel seines Hauses zwischen zweien Lorbeerzweigen, die in dem Vorfaale vor der Thüre aufgestellt wurden, eine Bürgerkrone aufgesteckt werden sollte, zum Zeichen, dass er der beständige Erhalter seiner Bürger und Ueberwinder seiner Feinde wäre.“ Confundit nimirum auctor fastigium (Giebel) cum culmine (Gipfel, Firstbalken) Vitruv. IV. 2. Deinde in atrio (Vorfaal) lauri certe non conspicuae erant praetereuntibus Ovid. Trist. III. I. 39. cf. Sueton. Tiber. c. 26. De ceteris postea videbimus. — Paschalius de Coronis, ed. Paris. Plant. 1610. 4. p. 485. itidem quernam, quae postes domus Augustae ornarit, laureis ramulis circumdare videtur, eamque in fastigio collocat; sed pag. 540. duas coronas, quernam alteram, alteram lauream, nectit. — Unum lauri furculum infra civicam postibus affixum intelligit Alex. Donatus de Urbe Roma lib. II. cap. 7. in Graevii Thes. Tom. III. p. 725. Hoc idem fere statuit Casp. Sagittarius de Januis Vett. in Graevii Thes. Tom. VI. p. 512. laurumque quotannis nova mutatam fuisse putat, de qua re differit quoque Paschalius l. c. — Duos ramulos laureos foribus alligatos et in fastigio civicam intelligit etiam Lipsius ad Senec. de Clem. I. 26. extr.

<sup>7)</sup> Burmannus et Gierig. ad h. l. secundum alios.

<sup>8)</sup> Reimarus ad Dion. Caff. LIII. 16. §. 101. in notis: „Inter duas lauros media loco superiore domus Palatinae suspensa corona querna sive civica, servatorum symbolum civium. Servius ad Virg. Aen. VI. 772.

<sup>9)</sup> Famian. Nardini Rom. vet. lib. VI. in Graevii Thes. Tom. IV. p. 1323. „Utrumque eius (Palatii) januae postem laurus appositae ornabant et superius limen corona querna. — Olaus Borrichius in Antiqua Urbis Rom. facie, cap. 12. in Graev. Thes. Tom. IV. p. 1587. obscurius: „Ad vestibulum duae insignes lauri cum corona quercua.“

B



Mihi quidem ea res quondam paulo impeditior videbatur et aliquantisper versabar in tenebris, quippe omni interpretum ope destitutus, librorumque, ad quos auxilium inde petiturus confugerem, exutus copia. Musae enim uti migrare non tam raro rus solent, ita plerumque curta suppellectili ibi aluntur. Interim locum probe mandavi memoriae, ut, si forte alicubi rem clarius expositam invenissem, obscuritati succurrerem. Incidi igitur in alium Ovidii locum, quem omnes fere interpretes laudare solent, cuius vero sensum neglexisse videntur. Is primum mihi viam quasi munivit, ut singulis vocibus earumque nexu iterum iterumque ponderatis ad eam denique sententiam descenderem, quam infra sum propositurus. Exstat Trist. III. 1. ubi poetae libellus, velut personam agens, ducem suum per Romam sequitur, qui v. 31. sqq.

*Inde petens dextram, Porta est, ait, illa Palati:  
Hic stator: hoc primum condita Roma loco est.<sup>10)</sup>  
Singula dum miror; video fulgentibus armis  
Conspicuos postes,<sup>11)</sup> tectaue digna Deo.  
35 Et Jovis haec, dixi, domus est. quod ut esse putarem,  
Augurium menti querna corona dabat.  
Cuius ut accepi dominum, Non fallimur, inquam:  
Et magni, verum est, hanc Jovis esse domum.  
Cur tamen apposita velatur janua lauro,  
40 Cingit et augustas arbor opaca fores?<sup>12)</sup>  
Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos?  
An quia Leucadio semper amata Deo?  
Ipsane quod festa est, an quod facit omnia festa?<sup>13)</sup>  
Quam tribuit terris, Pacis an ista nota est?<sup>14)</sup>*

45 *Ut-*

<sup>10)</sup> Adler Besch. von Rom, p. 313.

<sup>11)</sup> Sic columnae aedis Jovis Capitolini in fronte fuerunt ornatae signis militaribus, quae M. Aemilius Lepidus censor deinde amovit Liv. XL. 51. Spolia hostilia ad ipsas postes affixa occurrunt ap. Virg. Aen. II. 504. V. 360. VII. 183 sq. Nisi ea spolia s. tropaea, de quibus poeta hic loquitur, in fastigii acroteriis angularibus reponere malueris, quibus alias statuae imponi solebant. Vitruv. III. 3. cf. Sueton. Claud. c. 17. Sed de hac re infra plura dicemus; not. 33.

<sup>12)</sup> Laureatas fores appellat Seneca Consol. ad Polyb. c. 35.

<sup>13)</sup> Paschal. VIII. 8. p. 542.

<sup>14)</sup> Idem VIII. 14. pag. 561. et VIII. 10. p. 550. sq. Homer. II. α. 14.



45 *Utque viret semper laurus, nec fronde caduca  
Carpitur; <sup>15)</sup> aeternum sic habet illa decus?  
Causa superpositae scripto testata coronae  
Servatos cives indicat huius ope.*

Jam vidi sole apertius, in eo loco, unde haec disputatio orta est, quercum significare non arborem, sed coronam civicam in vestibulo praeter-euntibus conspicuam, neque, quum poeta armis ornatos postes paulo ante laudaret, alienum a vero mihi visum, eandem fuisse supra fores affixam cum titulo: *Ob cives servatos*; vidi, laurum triumphalem, quam cur Romani ceteris praetulerint, causas egregie poeta subtexit, ante fores fuisse plantatam, id quod vox *arbor*, et in superiori loco *ante fores stabis* indicare mihi videbantur, et, ut eam arborem v. 40. poetarum more pro plurali positam <sup>16)</sup> sumerem, monebat illa *media quercus*. Et quamvis Paschalius aliique antiquitatum scriptores multa de anniversaria illa laureorum surculorum mutatione disputassent, quae Kalendis Martiis in templis aliisque aedificiis fieri solebat: tamen, quum eandem mutationem in laureis ante Augusti domum factam non probavissent, et illud *stabis*, quod repetit Ovidius *Fast. IV. 953*.

*State Palatinae laurus, praetextaque quercu  
Stet domus, aeternos tres habet una Deos;*

vix de ramulis affixis, sed potius de vivis arboribus dicatur: non potui, quin mea in sententia starem, ante utrumque postem plantatas fuisse singulas laurus, nec plures, id quod pulcritudinis ratio et proportionis vetare mihi videbatur. Et coronam civicam supra januam fuisse affixam, cum ex eodem poeta apparere putabam, qui *Fast. I. 613. sq.* de Jove canit:

*Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:  
Protegat et vestras querna corona fores; <sup>17)</sup>*

tum

<sup>15)</sup> Paschal. VIII. 12. p. 554. Plin. H. N. XVI. 20. ed. Dalechamp.

<sup>16)</sup> Jani art. poet. pag. 90.

<sup>17)</sup> Perperam hos versus explicat Paschal. VII. 10. pag. 486. de poetae foribus, civica ornandis a Caesare, plane contra verborum nexum. *Vestras fores* referendum est ad *templa augusta* v. 610. quibus Palatium s. domum Augusti notat, in qua templum Apollinis. Eas fores protegere juberetur corona querna, quia Jovi sacra est, uti infra docebimus.



tum ex illis Valerii Max. II. 8, 7. extr. „Ceterum ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est; qua postes Augustae domus sempiterna gloria triumphant.“ —

Sed eam explicationem dubiam et incertam reddunt alii scriptores aequales, qui hanc rem attigerunt. Seneca enim ita de illa civica loquitur, ut Palatii fastigio necessario tribuenda esse videatur.<sup>18)</sup> „Felicitas illa, inquit, multis salutem dare, et ad vitam ab ipsa morte revocare, et mereri clementia civicam. Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulcriusque est, quam illa corona ob cives servatos. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parva bello spolia.“ Adsentit huic Suetonius,<sup>19)</sup> qui de Claudio: „Inter hostilia spolia, inquit, navalem coronam fastigio Palatinae domus juxta civicam fixit, trajecti et quasi domiti Oceani insigne.“ Equidem vereor, ut interpretes veram huius vocis significationem adsecuti sint, quam vel intactam reliquerunt,<sup>20)</sup> vel extremum ausi mutandum censuerunt,<sup>21)</sup> vel denique ad tecti culmen retulisse videntur.<sup>22)</sup> Videamus igitur, an iusta interpretatione his locis possimus succurrere, eaque superioribus accommodare.

*Fastigium* nempe denotat primum alicuius rei summitatem (*τὸ ἄκρον*), Caes. B. G. VII. 69. in primis aedificiorum, Virg. Aen. I. 438. II. 302. 458. Deinde tectum forma triangulari, Cic. de Orat. III. 46. Porro eam aedium sacrarum vel alias magnificarum partem, quae forma trianguli aequicrurii coronis circumdata columnisque fulta talium aedificiorum frontem ornare solebat (Frontispicium, Fronton). Ovid. Metam. I. 573. XV. 672. Huius fastigii coronae claudebant tympanum, (Giebelfeld)<sup>23)</sup> i. e. cam-

<sup>18)</sup> De Clementia I. 26. extr.

<sup>19)</sup> Claud. c. 17.

<sup>20)</sup> Reimarus et Lipsius II. citt.

<sup>21)</sup> Ernesti in notis ad Sueton. Claud. 17. ad verba: fastigio Palatinae domus, inquit: „Atqui constanter alii scriptores, Ovidius, Plinius, atque etiam noster, tradunt, civicam in foribus Palatii vestibuloque suspensam fuisse, non autem fastigio. Legendum ergo arbitror: In vestibulo Palatinae domus. Noster in Tiber. c. 26. Civicam in vestibulo coronam recusavit.“

<sup>22)</sup> Adams, vid. not. 5) aliique.

<sup>23)</sup> Vitruv. III. 3. et IV. 7. Baldi Lexicon Vitruv. sub voc. Fastigium et Tympanum. Rode, des M. Vitruv. Pollio Baukunst, II. Bd. Leipz. 1796. et eiusd. Wörterbuch über Vitruvs Baukunst, sub hh. vv. Eiusmodi fastigia delineavit Laetus ad Vitruv.



campum triangularem, quem caelaturis aliisque operibus architecti explebant; angulos ad basin et in culmine fastigii acroteriis ornabant, quibus tamquam basibus statuae, <sup>24)</sup> spolia hostilia aliaque <sup>25)</sup> imponebantur.

Tale igitur fastigium, quod templorum proprie esset insigne, praeter alios honores divinos, quibus Julium Caesarem prosequeretur senatus Romanus, illius etiam domui adjectum voluerat. <sup>26)</sup> Et quantae dignitatis esset, e Cicerone constat, qui pulvinari et flamine jungit. <sup>27)</sup> Inde ad Octavianum eiusque successores iste honor transiit, ita ut perpetuum Palatii decus maneret.

Quae quum ita sint, corona civica secundum Senecam et Suetonium in illius fastigii tympano rectius erit reponenda, unde in vestibulo a praetereuntibus conspici poterat. <sup>28)</sup> Infra tympanum <sup>29)</sup> in zophoro <sup>30)</sup> legabatur titulus: *Ob cives servatos*. Ante columnas plantatae erant ad dextram et sinistram singulae lauri civicam obumbrantes. Columnas ipsas fastigii inter se et ab aedificii parietibus eo spatio separari jubet Vitru-

Vitruv. IV. 3. et 6. plures etiam imagines exhibuit Rivius in versione Vitruvii vernacula, ed. Basil. 1575. fol. Graecis vocatur hoc fastigium *ἀερός* et *ἀερωμα* Dionys. Hal. IV. 61. extr. et ibi Casaub. et Reisk. et hodie conspicitur in Pantheo s. S. Mariae rotunda, aliisque aedibus. cf. Montfauconii Antiq. gr. et Rom. in compend. redact. a M. Jo. Jac. Schatz. Norimb. 1757. fol. pag. 128. sqq. Tab. XLV — L.

<sup>24)</sup> Vitruv. III. 2. Sic eburnitidum in fastigio palatii Solis interpretandum est de statuis eburneis in eiusdem acroteriis apud Ovid. Metam. II. 3. coll. XV. 792. Et in summo acroterio aedis Jovis Capitolini erant Dei quadrigae fictiles et inauratae, Liv. XXXV. 41. Plin. H. N. XXXV. 12. Adler Besch. von Rom, pag. 282. Graecorum artificum statuas Palatinae aedis Apollinis positas in fastigio commemorant Plin. H. N. XXXVI. 5. et Ovid. Trist. III. 1. 60. sq.

<sup>25)</sup> Livius clypeos inauratos, a M. Aemilio Lepido et L. Aemilio Paulo in fastigio Jovis Capitolini positos, XXXV, 10. diferte discernit ab affixis signis militaribus, XL. 51. „Clypeaque de columnis, et signa militaria affixa omnis generis demsit, sc. M. Aemilius Lepidus, censor.“

<sup>26)</sup> Florus IV. 2. cf. Sueton. Caes. c. 81.

<sup>27)</sup> Cic. Philipp. II. 43. de Caesare: „Quem is majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? Est ergo flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius?“

<sup>28)</sup> Ovid. Trist. III. 1. 33 — 36.

<sup>29)</sup> l. cit. v. 47. — superpositae — coronae.

<sup>30)</sup> Alias zona (Frieß) inter coronam et epistylum, quam Ionicis in aedibus sculpturis interdum ornare solebant. Vitruv. III. 3.



truvius, ut commodam ambulationem, velut in porticu, praebeant. Plures earum ordines conspiciantur in eiusmodi aedificiis, <sup>31)</sup> interdum unus tantum sufficiebat. <sup>32)</sup> Haec altera ratio Palatinae domui convenit, propterea quod poeta et in Metamorphosis, ubi fores diserte a postibus discernit, et in Tristibus, ubi ab sermonis vulgaris usu omnino parum discessisse videtur, voces *janua* et *fores* propria significatione sumendae sunt; lauri autem, juxta columnas, ut vidimus, plantatae, *ante fores stare, januam velare, fores cingere*, dicuntur. Sic et *laureatae fores* Senecae <sup>33)</sup> optime conveniunt. *Postes* autem in utroque Ovidii loco et apud Valerium Maximum nihil aliud denotant, nisi omnino *aditum, portam cum partibus adiunctis*, et comprehendunt non solum fores s. januam, sed etiam fastigium cum ea cohaerens, huiusque partes, columnas et acroteria. <sup>34)</sup> Columnarum altitudo et illis laureis, quae civicam obumbrabant, erit aptanda <sup>35)</sup> et modicae domui congruens esse debet. Habebat enim Octavianus in aedibus Hortensianis neque laxitate, neque cultu conspicuis. <sup>36)</sup> Ea domus conflagravit a. V. c. 756. et brevi ab ipso restituebatur. <sup>37)</sup> Et restitutam prae deleta non adeo splendidam fuisse atque magnificam, cum humanissimi principis modestia et

CON-

- <sup>31)</sup> v. c. in Pantheo, in aede Jovis Capitolini, cuius fastigium duobus columnarum ordinibus innitebatur.
- <sup>32)</sup> Sic in iconibus aedium sacrarum apud Montfauc. l. cit, Tab. XLV. 4. XLVI. 4. XLVII. 1. XLVIII. 2. 3. 4. 6.
- <sup>33)</sup> Consol. ad Polyb. c. 35.
- <sup>34)</sup> Fulgentia igitur arma, quibus conspicuos postes fuisse Ovidius ait, Trist. III. 1. 33. 34. significant tropaea (Virg. Aen. XI. 5 — 7.) in acroteriis ad utrumque coronae civicae latus constituta. Hoc patebit, si cum Ovidio Suetonium contuleris, qui civicam coronam manifesto inter spolia hostilia reponit, in Claud. c. 17, Seneca de Clem. I. 26. extr. consentiente. Sic postes porticum ante januam significare videntur ap. Virg. Aen. VIII. 721. et ibi Heyn. Pars igitur ponitur pro toto, per Synecdochen. Jani art. poet. pag. 707.
- <sup>35)</sup> Vitruv. III. 2. commemorat columnas ab minimo ad pedes quinos denos, ab quindecim pedibus ad viginti et sic porro usque ad pedes quinquaginta et altiores: Ex his eligendas nobis dedit eas, quae conveniunt laureis Italicis, quarum plura genera describit Plinius H. N. XV. 30. ed. Dalech. et inter ea laudat regiam, quae coeperit Augusta appellari, amplissimam et arbore et folio. cf. E. A. W. von Zimmermanns allgem. Blick auf Italien, Weimar, 1797. 8. Praeterea illi, Heyn. ad Virg. Aen. II. 444.
- <sup>36)</sup> Sueton. Octav. c. 72.
- <sup>37)</sup> Dio Cass. LV. 12. Sueton. Octav. c. 57.

SLUB  
Dresden



continentia suādent,<sup>38)</sup> tum inde, quod auctores de magno apparatu tacent, apparere videtur. De hac igitur eadem, quae de pristiua, facile mihi persuadeo, dicere potuisse Ovidium, qui suas Metamorphoses et Fastos paulo ante exsilium a. V. c. 762. scripsisse videtur, Tristium vero libros posteriores in ipso exilio composuit. Ceterum ea domus mansit ad Neronis usque tempora, quibus incendio absumtae locum splendidissima illa domus aurea occupavit.

His ita constitutis rem gestam secundum Dionem, qui eam copiose accurateque memoriae prodidit, exponere mihi liceat. Octavianus nempe quum intellexisset, imperii summam, quam, poena a Caesaris intersectoribus, uti prae se ferebat, sumta, Antonioque superato, sibi vindicaret, evitandae invidiae causa civium adsensu, populique Romani auctoritate iussuque firmandam esse stabiliendamque, oratione in senatu habita satis callide declaraverat, se reipublicae administrationem senatui populoque Romano traditurum.<sup>39)</sup> Senatores, quorum maximam partem beneficiis sibi obligaverat, quamquam multi consilium, probe cernentes fraudem, indigne ferrent, plures tamen summam eius liberalitatem demirantes, in adulationem versi nunc dolorem simulare, nunc Octavianum adire supplices, nunc eum orare atque obtestari, ne rempublicam in discrimen adduceret, neve orbatam civilibus bellis lacerari pateretur.<sup>40)</sup> Inde leges sanxit de provinciis sortiendis administrandisque, et alias reipublicae saluberrimas, ac tanta in omnibus rebus lenitate atque clementia usus est, eoque successu in civium gratiam se insinuavit, ut, quamvis penes eum solum esset summa imperii, nemo tamen facile eius potentiam iniquo animo pati videretur, quum praesertim postea adjecisset, se, licet senatus populusque Romanus sibi rempublicam commisissent, tamen ultra decennium eandem non retenturum.<sup>41)</sup> Inde divini honores in eum collati, et inter alia, quoniam hostes vicisset, civesque servasset,<sup>42)</sup>

ante

<sup>38)</sup> „Ampla et operosa praetoria gravabatur.“ Suet. Octav. c. 72.

<sup>39)</sup> Dio LIII. 3 — 10. Rem tangit quoque Sueton. Octav. c. 28.

<sup>40)</sup> Dio c. 11.

<sup>41)</sup> Idem c. 12 — 16.

<sup>42)</sup> Hanc quoque causam prae se ferebant Romani, quum Caesari praeter divinos honores etiam coronam civicam tribuerent teste Appiano de Bello Civ. II. 106. Hinc Plinius H. N. XVI 4. queritur: „Civicae coronae, militum virtutis insigne clarissimum, jam pridem vero et clementiae imperatorum, postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri, civem non occidere.“



ante eius domum lauros poni et quernam coronam de ea suspendi<sup>43)</sup> placuit. Hoc factum a. V. c. 727. Et nummi hujusce rei memoriam servarunt, in quibus corona civica cum titulo: *Ob cives servatos* conspiciuntur.<sup>44)</sup>

Sed a nostro proposito haud alienum videtur, pauca de civicae coronae usu ac origine adjicere. De lauro enim Ovidius eiusque interpretes<sup>45)</sup> ita differuerunt, ut nihil amplius mihi relictum videatur. Corona autem illa civica quum novissimis temporibus in Franco-Gallorum republica pristinae dignitatis speciem aliquam recuperavit: hanc ego disputationem vel propter eam rem non praetermittendam esse censui. Ibi videlicet cives bene de republica meriti ea ornantur, ea fasces in monetis et monumentis publicis cinguntur, ea ubivis fere adhibetur, ubi recentioris conditionis libertatisque memoria solemniore modo revocanda est. Primis tamen annis reipublicae in novam formam redactae Anglum quendam adolescentem ea decoratum esse memini, cujus humanitas virtusque vel apud priscos Romanos hoc praemium meruisset. Civica corona,<sup>46)</sup> de qua hic sermo est, nonnisi apud Romanos erat in usu, et illi tantum dabatur civi,<sup>47)</sup> qui civem servaverat in proelio. Servatori servatus, palam factus, se ei, tamquam alteri patri, vitam debere,<sup>48)</sup> eam imponebat, inter-

<sup>43)</sup> Dio LIII. 16. Ὁ δ' ἔν Καῖσαρ πολλὰ μὲν καὶ πρότερα, ὅτε τὰ περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἔθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε, καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτῆ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν σέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ αἰεὶ τὴς τε πολέμιας νικῶντι καὶ τὴς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. Ἰπὲρ αὐτῶν Xylander referebat ad τὰς δάφνας; rectius Valesius et Reimarus βασιλείων supplent. Sic cum Ovidio consentit Dio. Ceterum fastigii nullam facit mentionem.

<sup>44)</sup> Apud Alb. Rubenium Tab. XVI.

<sup>45)</sup> Burmannus ad Ovidii loca laudata, imprimis Gierig. ad Met. I. 450 — 562. et Paschalius.

<sup>46)</sup> Loci classici exstant ap. Gell. N. A. V. 6. Plin. H. N. XVI. 4.

<sup>47)</sup> „Auxilia (i. e. auxiliares copiae) quamvis rege servato, id decus non dant.“ Plin. I. cit. Polyb. VI. 37. comprehendit πολίτας καὶ συμμάχας, cives et socios: priscos illos Latini nominis putat, qui cum civibus tunc aequati. Lipsi. de Milit. Rom. V. 17. in ej. Opp. Tom. III. p. 369. ed. Vesal.

<sup>48)</sup> Cicero pro Planc. c. 30. „At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam et se ab aliquo servatos esse fateantur, non quo turpe sit protectum in acie hostium manibus eripi, (nam id accidere nisi forti viro et pugnanti cominus non potest) sed onus beneficii reformidant, quod permagnum est, alieno idem debere, quod parenti.“



interdum dux ipse coram toto exercitu.<sup>49)</sup> Sed hoc non sufficiebat. Quo magis enim miles ea corona honorabatur, eo majori cura cavebant Romani, ne ullum verae virtutis fortitudinisque officium omissum esse videretur. Propterea illud veteres adiecerant, ne quis eo praemio dignus haberetur, nisi eodem tempore etiam hostem trucidasset,<sup>50)</sup> neque, quoniam loco cedere militi semper ignominiosum, ea in pugna hosti locum, quem obtinuerat eo die, reliquisset. Sub Caesaribus mos idem servatus est ita, ut solemniori ritu corona manu imperatoria tribueretur.<sup>51)</sup> Et quamvis huius coronae dignitas, ex quo Caesares, monstra interdum humani generis, eandem sibi arrogaverant, imminuta esse videretur: honores tamen cum ea coniuncti manserunt. Ea licebat uti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgebatur etiam ab senatu. Sedendi jus habebat loco proximo senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique et avo paterno.

Materiam huius coronae praebuit primo ilex, postea esculus Jovi sacra; mos demum invaluit, dandi civicam e qualibet quercu: hoc tantum e prisca institutione religiose servato, ut glans in ea eligeretur optima et grandissima. Quam cur Romani ceteris arboribus praetulerint, huius rei plures ab auctoribus classicis causae adferuntur.<sup>52)</sup> Quercum eiusque genera, ilicem et esculum, glandiferas, facilem et promptuarium cibum suppedi-

<sup>49)</sup> Coriolano civicam imponit Dictator apud Plutarch. Coriol. c. 3.

<sup>50)</sup> Scioppius laudat nummum in honorem Aemilii Lepidi, in quo corona civica cum titulo: C. S. H. O. i. e. civem servavit, hostem occidit, cf. Val. Max. III. 1. 1. Statuas quoque talium virorum decoratas civica refert Figrelus de statuis ill. Romanor. cap. 21. ed. Holm. 1656. 8. pag. 183.

<sup>51)</sup> Tacit. Annal. III. 21. XV. 12.

<sup>52)</sup> Plutarch. in Coriol. c. 3. (ed. Hutten. Vol. II. p. 61.) de Dictatore, qui Coriolano civicam dederat: είτε δὴ μάλιστα τιμήσας δι' Ἀρκάδας τὴν δρυὸν βαλανεφάγας ὑπὸ τῆς θεῆς χρησμῶν προσαγορευθέντας, είτε ὡς ταχὺ καὶ πανταχῶς δρυὸς ἔσαν εὐπορίαν στρατευομένοις, είτε Διὸς πολιέως ἱερὸν ὄντα, τὸν τῆς δρυὸς σέφανον αἰόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ πολίτας δίδουσαι πρεπόντως. ἔστι δ' ἡ δρυὸς τῶν μὲν ἀγρίων καλλικαρπώτατον, τῶν δὲ τιθασῶν ἰσχυρότατον. ἦν δὲ καὶ σιτίον ἀπ' αὐτῆς, ἢ βάλανος, καὶ ποτόν, τὸ μελίτιον. ὄψον δὲ παρεῖχε τὰ πλεῖστα τῶν νεμομένων τε, καὶ πτηνῶν, θήρας ὄργανον φέρασα τὸν ἰξόν. Et in Quaest. Rom. c. 92. Graev. Thef. Tom. V. p. 1051. Διὰ τί τῶ σῶσαντι πολίτην ἐν πολέμῳ δρυῖνον δίδουσαι σέφανον; πότερον ὅτι πανταχῶς καὶ ραδίως ἔστιν εὐπορήσασθαι δρυὸς ἐπὶ στρατείας; ἢ ὅτι Διὸς καὶ Ἥρας ἱερὸς ὁ σέφανός ἐστιν, ἔς πολιέως νομίζουσιν; ἢ παλαιὴν ἀπ' Ἀρκάδων τὸ ἔθος, οἷς ἔστι τις συγγένεια πρὸς τὴν δρυὸν; πρῶτος γὰρ ἀνθρώπων γεγονέναι δοκᾷσιν ἐν γῆς, ὡςπερ ἡ δρυὸς τῶν φυτῶν, cf. Gell. l. cit. Serv. ad Virg. Aen. VI 772.



peditare praesertim militi in expeditione; antiquitus Arcades viscum ad venationem, potum cibumque inde sibi parasse et propterea ab oraculo glandivoros esse appellatos; eam arborem Jovi et Junoni, urbium tutoribus, esse sacram, et inter urbanas esse robustissimam, inter sylvestres fructum ferre pulcerrimum; eam denique cum hominibus esse quasi cognatam; nam quercum inter ceteras stirpes primum esse e terra enatam, sicut primi hominum terra procreati dicantur. Patet, ipsos veteres de hac re fuisse in incerto. At tamen quum omnes auctores in eo consentiant, civicam prisco illi instituto glandibus vescendi originem suam debere, eiusque moris principiam ad Arcades referant, haud ab re videtur, ad huius populi avos paululum regredi et ex priscorum auctorum testimoniis, num vera sint, quae illi perhibent, investigare.

Arcades igitur inter primos Graeciae incolas sunt referendi, eorumque origo temporum vetustate ita fuit oblitterata, ut ipsi se astris lunaque priores profiterentur, eamque rem laudi sibi ducerent.<sup>53)</sup> Ab omni artium ope destituti et agriculturae ignari ad eas statim res confugerant, unde ferus quisque in statu naturae vivens victum sibi cibumque petere solet.<sup>54)</sup> Arcadia saltibus, praesertim quercicis, oblita immensam glandium copiam ipsis suppeditabat, quibus vescerentur.<sup>55)</sup> His igitur et radicibus, foliisque contenti sub dio degentes vitam traduxere, donec Pelagus, primus eorum rex, ad casarum vestiumque usum revocatos glandes sagineas, tamquam sapidiore, eligere doceret.<sup>56)</sup> Inde quum ab ora maritima remotis nihil cum ceteris nationibus esset commercii, montibus suis quasi inclusi prisca non modo disciplinam morumque sanctitatem, sed etiam pristinum victum cultumque ad sera usque tempora servarunt. Pasuis operam dedere et venationi in saltibus, qui ferarum, inprimis aprorum copia abundabant, ipsisque carnem et vestimenta ad frigus arcendum praebebant. Et ob glandium victum ita fuerunt in fama, ut ab oraculis glandivori<sup>57)</sup> appellarentur.

Huic

<sup>53)</sup> v. Breitenbauch Gesch. von Arcadien, Frf. 1791. pag. 6. sq.

<sup>54)</sup> Plin. H. N. XII. prooem. VII. 56. imit. Ovid. Met. I. 104. sq. Virg. Georg. I. 8. 146. seq. Genes. II. 17.

<sup>55)</sup> Unde antiquissimis temporibus Drymodis nominata est. Breitenb. l. c. pag. 443.

<sup>56)</sup> Pausan. Arcad. c. 1.

<sup>57)</sup> Βαλανθηγάροι, Pausan. Arcad. c. 1. et 42. cf. Aelian. V. H. III. 39. et ibi in rpp. Voss ad Virg. Eclog. VII. 4. et X. 20.



Huic autem populo Italia non solum haud exiguam incolarum partem, verum etiam plurimos ritus atque instituta debebat. Oenotrus enim, Lycaonis, Arcadiae regis, filius<sup>58)</sup> decima septima ante Trojanam expeditionem generatione, relicta Peloponneso classeque parata cum fratre Peucetio ac multis popularibus ad Italiae littora, hic supra Japygium promontorium in Apulia, ille in sinu Aufonio, adpulerant. Oenotrus, incolis fugatis, multa castella condiderat,<sup>59)</sup> et his Arcadibus orti ferebantur Aborigines, qui postea Siculos, Umbrosque, Pelasgis tantum, qui ex Achaja advenerant, relictis, sedibus suis privarunt.<sup>60)</sup>

Haud ita multo post alia Arcadum classis ex Pallantio, urbe Arcadica, LX. fere anno ante bellum Trojanum, Latii regiones petivit.<sup>61)</sup> Coloniae dux fuit Evander, qui seditione orta viribus interior cum exiguo popularium numero e patria migraverat. Hic a Fauno, Aboriginum rege, liberaliter exceptus, Pallantium, urbem, ubi deinde Roma sita est, aedificavit non modo, sed etiam multos Arcadiae ritus, mores et instituta in terram hospitem introduxit, v. c. Panis,<sup>62)</sup> aliorumque Deorum cultum, litteras et instrumenta musica,<sup>63)</sup> quibus Arcades in primis scite utebantur. His aliisque artibus, institutis ac legibus hominum genus, antea prope ferinum, ad mansuetudinem traduxisse Evandrum ferebant, ideoque recentes advenas commixtos Aboriginibus gratissimos hospites fuisse. Atque haec instituta artesque ad sera usque tempora apud Romanos ceterosque Italiae incolas fuerunt in usu.<sup>64)</sup> Et quamvis non negaverim, Italiae priscos incolas etiam sua sponte in glandium victum incidere potuisse, tamen, quum laetissimi agri alia copia abundarent, illud alimenti genus ab Arcadibus ad eos transisse, minus a vero alienum mihi videtur. Ac tantum abfuit, ut eorum posteritas a glandibus abstineret, ut potius Plinii adhuc temporibus inopia frugum ab arboribus glandiferis victus peteretur.

<sup>58)</sup> Breitenb. p. 15. et 442.

<sup>59)</sup> Dionys. Halicarn. I. 11. 12.

<sup>60)</sup> id. I. 20.

<sup>61)</sup> id. I. 31—33.

<sup>62)</sup> Lupercalia, Liv. I. 5.

<sup>63)</sup> Voss ad Virg. Ecl. VII. 4. et passim. Breitenb. pag. 392.

<sup>64)</sup> Praeter alia ludi funebres, ab Arcadibus inventi, Breitenb. p. 397.



ur.<sup>65)</sup> Ubique enim montes quercetis obfiti hujus pomi facultatem praebeant.<sup>66)</sup>

Romani igitur, deliberantes, quid dignissimum esset cive optime de republica merito, quoniam civem, carissimum patriae pignus, fervasset, auro spreto, ne civium salus in pretio esse videretur, ingeniose ea arbore caput eius coronatum voluerunt,<sup>67)</sup> quae, cur esset data, statim ac sine ullis ambagibus significaret. Et quid inveniri poterat, quod rem declararet apertius, quam arbor glandifera, quae, id quod vel infimo ex plebe

no-

<sup>65)</sup> Plin. H. N. XVI. 5. „Inopia frugum arefactis (glandibus) molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin et hodieque per Hispanias secundis mensis glans inseritur.“ cf. Virg. Georg. I. 159. Forte ab Arcadibus certe e glandibus, quarum tredecim genera laudat Plinius, optimas et dulcissimas Itali eligere sunt docti. Fuerunt quidem, qui dubitarent, an quernae glandes alimenta praebeant humano corpori. De quibus vid. Gierig, ad Ovid. Metam. I. 106. Glandis et βαλάνου vim latius olim patuisse, inquit, omnesque fructus echinatos esse complexam, v. c. castaneas, Διὸς βαλάνους. — Plinius sane narrat, inveniri, qui juglandis nomen honoris causa Jovis glandem interpretentur, H. N. XV. 22. extr. cf. Varr. L. L. IV. et castaneas Graecis Sardonios balanos appellari ibid. c. 23. Salmas. et Harduin. ad h. l. et cf. Ovid. Art. am. III. 183. Sed idem auctor ita distincte disputat de faginea et querna glande, ut vix illorum sententiae accedere possim. Deinde dubito, castaneas alendo corpori humano magis idoneas inveniri, quam glandes fagineas aut quernas. Porro homines nostri seculi, in iis certe regionibus, ubi frumenti copia est, sane sunt longe diversi a priscis illis agrestibus et feris, quorum viscera multo duriorum cibum concoquere poterant. Sed recentioribus etiam temporibus glandes venales Salmanticae, aliisque Hispaniae locis Octobri mense proponebantur. Harduin. ad Plin. H. N. XVI. 5. Eadem glans, fructus esculi (Quercus esculus, Linn. die kleine Eiche) oblongior, quae Plinio dulcior in cinere tosta est, in Gallia meridionali in farinam molita ad panem adhibetur et pauperes Tatarum in Chersoneso Taurica panem e glandibus sibi parant, testeque Shawio in Asia et Africa interdum glandes in aqua coctae comeduntur. Et inde humana corpora ali, a medicis demonstratum est. Quid? quod septentrionalium regionum incolae farinam e corticibus pani immiscere eoque vitam sustentare dicuntur. cf. Voss ad Virg. Georg. I. 8. imprimis Potters griech. Archaeol. überf. von Rambach, Vol. II. pag. 632. in notis. Apollon. ad Philostrat. VIII. 3. de Arcadibus: ἀγροικώτατον, inquit, ἀνθρώπων εἰσὶ καὶ σὺνδεις τότε ἄλλα, καὶ τὸ γαστρίζεσθαι τῶν δρυῶν. Arcadium denique castanearum tantam copiam procreasse, nusquam legi, at profecto glandibus abundasse.

<sup>66)</sup> Laudantur Horatio Algidus in Latio et Garganus in Apulia propter quercuum silvas; Carm. I. 1, 28. 16, 14. II. 9, 7. III. 23, 10. 13. 14. IV. 4, 58. Umbria: „Umber et iligna nutritus glande rotunda Curvet aper lances carnem vitantis inertem;“ Virgilio Alpes, Aen. IV. 441.

<sup>67)</sup> cf. Paschal, p. 488. sqq.



notissimum, hominum vitam et olim ab interitu defendisset, et nunc haud raro ad famem sedandam peteretur?<sup>68)</sup> Nihil referebat, quatenus glans ad cibum esset aptissima, quae suavissimi saporis, sed potius quae amplissima esset et grandissima, quo in oculos incurreret.<sup>69)</sup> Accedebat, quod quercus vetustate commendaretur et ob eam rem festa habita solemniori ritui aliquam dignitatem et honorem videretur afferre. Deinde majorum memoriam, quae per se jucundissima est, revocabat, et vitae Arcadicae, quae vulgo beatissima ferebatur. Porro jam ab Arcadibus erat traditum<sup>70)</sup> et Dodonaei oraculi auctoritate confirmatum, quercum Jovi, deorum hominumque patri urbiumque tutori, esse sacram. Arbor igitur inter ceteras praestantissima, robustissima et Jovi dilecta decorabat caput eius, qui virtute sua prae ceteris eminebat civibus, qui fortissimus urbis ac patriae defensor habendus et propter ea Jovi imprimis carus erat, eiusque singulari tutela ac praesidio gaudebat.

Neque ea ratio propter leges additas orbis terrarum dominos eventu sefellit. Non ii tantum, qui praesentes audiebant videbantque, ad pericula certatim et cum aemulatione adeunda excitabantur, sed ii etiam, qui erant domi, quum praeter gloriam, qua fruebantur inter legiones, et famam, quam domi statim consequerentur, reversi in patriam, eiusmodi ornamentum ubivis gestarent et a civibus omni honore adficerentur.<sup>71)</sup> Hoc igitur stimulo ad fortissima facta, ad veram magnanimitatem, nobilioremque illam virtutem impellebantur, quae non lucri causa pugnabat, non vitam auro venalem exponebat, sed patriae amore, laudisque studio duceba-

<sup>68)</sup> Aliter eam rationem proponit Brunings in *Antiq. graec.* Frf. 1745. pag. 15. not. a. „Corona, inquit, Romanorum civica non sine ratione e quercu fuit, quod pro focis quasi dimicasse videbantur, quos quercus ornabat, unde alimenta olim civibus erant.“

<sup>69)</sup> Plin. H. N. XVI. 4. „Variatumque et cum quercu est ac data ubique, quae [fuerat, custodito tantum honore glandis.“

<sup>70)</sup> Jovem ramulo querno, quem quotannis in Hagnonem, fontem deo sacrum, immittebant, venerabantur. Pausan. *Arcad.* c. 38 init. Jupiter prae aliis numinibus ab Arcadibus colebatur. Paus. I cit. cap. 2. multaeque de nativitate dei in hac terra fabulae circumferebantur et incolae ostendere solebant loca, ubi ipse natus educatusque esset. *ibid.* cap. 41.

<sup>71)</sup> Polyb. VI. 37.



---

cebatur. Hinc illi Siccii Dentati, Manlii Capitolini,<sup>72)</sup> hinc illi splendidi-  
 diffimi triumphi Papiriani,<sup>73)</sup> hinc illae Pyrrhi, maximi suae aetatis im-  
 peratoris laudes: „*Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi  
 milites contigissent.*“<sup>74)</sup>

<sup>72)</sup> Plin. H. N. VII. 28. Liv. VI. 20.

<sup>73)</sup> Liv. X. 46.

<sup>74)</sup> Eutrop. II. 11.

---















SLUB DRESDEN



3 1751285